



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Controversiae Ecclesiastico-Historicae**

**Casteel, Gerard**

**Coloniae Agrippinae, 1734**

**VD18 10739254**

Controversia XXXI. De Appellationibus ad Sedem Romanam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68244)

CONTROVERSIA XXXI.

D E

*Appellationibus ad Sedem Romanam.*

**R**omano Pontifici, velut indubitato Christi Vicario in terris atque Ecclesiae Catholicae visibili Capiti exhibendam esse summam tum reverentiam, tum obedientiam in primitiva Ecclesia & constanter creditum, & debite observatum fuisse ex Patrum Orthodoxorum tam Orientis, quam Occidentis scriptis editis, Conciliorum Universalium & Provincialium actis, Imperatorum decretis, aliisque monumentis adeo evidens est: ut refractarius, inflexibilis ac obstinatae mentis sit habendus ille, qui tam multis, tamque consentientibus, atque inter se conspirantibus testimoniis fidem detrectare vellet. Praeter alios quamplurimos id invidis probavit argumentis eruditissimus ac zelosissimus Cardinalis Perronius in *Replisa ad Jacob. Angl. Regem.* ubi conformitatem Ecclesiae Catholicae primitivae cum moderna adeo dilucidè demonstrat *Lib. 1. cap. 18. & Lib. 3. 4. 5. 6.* per totum; ut David Blondellus, Protestantium Goliath, in illo enormi Volumine, quod contra Replicam divulgavit, minimè ausus fuerit eundem Ath-

letam generosissimum ordinata serie aggredi: sed praetensam refutationem, suae causae diffidens, per transennam inchoaverit ad cap. 23. libri primi, & ad cap. 34. ejusdem libri finiverit. Et quid ea de re Patres apertius aut expressius testari aut confiteri potuissent? quorum libris testatissimum certissimumque evadit, quod Univerfus Orbis Christianus Romanum Pontificem Sancti Petri, cui Christus Ecclesiam suam regendam commiserat, legitimum & ordinarium Successorem esse crediderit, & velut talem coluerit: id quod infinitis propemodum exemplis in Historia Ecclesiastica patet; in qua nequidem mediocriter versatus Calvinus (quantumcumque hujus cognitionem insolenter praesefere visus sit) dum oppugnaret adstructam assertionem Catholicam, haud simplice vice turpissimè hallucinatus, suam ignorantiam supinam prodidit. Et sicut, arbitro Plauto in *Epedice stultus est, qui facta infecta facere verbis postulat;* ita stultior Corcebo, ut Lucianus loquitur, reputari debet; quando, ut Sedi Apostolicae Primatum adimat, ille perfractè negat

Pontificem Romanum primis præfuisse Generalibus Conciliis; atque inter cætera exempla profert Nicænum Concilium (hoc in Thracia somniat celebratum) cui Athanasium præfuisse contendit; cum is nonnisi Diaconus tunc esset. Eâdem oberravit chordâ ostentator dum *Lib. 4. Infit. cap. 7.* Mennam Constantinopolitanum Patriarcham constituit Oecumenicæ Synodi V. Præsidem, etiam Romano Pontifice tunc in eadem urbe morante: cum tamen constet, Mennam hunc annis sex fuisse mortuum, quando Synodus, Anno scilicet Imperatoris Justiniani 27<sup>mo</sup>. inchoaretur sub Eutychio Patriarcha, qui in Epistola ad Vigilium Papam, quæ habetur in fine primæ collationis ejusdem Synodi, agnovit & professus fuit, præsentiam debitam fuisse Romano Pontifici, si is interesset Concilio voluisset. Neque ex illo tam crasso & palpabili errore suum eximent Calvinum, qui prætendunt, ipsum intelligendum de Concilio per Mennam celebrato. Præterquam enim quod illud non fuerit Generale Concilium, Papa, qui tempore Mennæ Constantinopolis fuit scilicet S. Agapetus, ante hoc obierat; in quo ipse Mennas illum vocat suum sanctæ & fœlicis memoriæ Patrem. Atque etiam si adhuc in vivis fuisset; quam veri speciem obtinere potest, quod Mennas primum locum sibi vendicare ausus fuisset, in præsentia Papæ, à quo Patriarcha creatus fuerat; quique protestatus fuerat in eadem Synodo, quod sanctæ Sedi Romanæ esset subjectus.

Quaquaversum ergo Calvinus sese recipiat, mortuum reperiet, quem vivum introducit. Et quoniam ex Bolsco constat, Deum viro huic donum miraculorum non contulisse; non poterit aliquem resuscitare, ut locetur ibi, ubi ex inertis vecordia, seu turpi inscitia eum statuere voluit.

Sed ut hæc perspecta de Pontificis Primatu sunt iis, qui Ecclesiasticam Historiam vel à limine salutârunt, & ab omnibus retro sæ-

culis traditum, receptum creditumque fuit, quod Romanus Pontifex sub Christo & loco Christi inter visibiles ac ministrationales Ecclesiæ Episcopos, Pastores & sacerdotes supremus sit totius Ecclesiæ Catholicæ Episcopus, Pastor, Rector & principale Caput; quodque ex hoc Primatu Romani Pontificis fluant multa prærogativæ, quæ ipsi non secus, ac Primatus, jure divino competunt; quæque eidem specialiter sunt concessæ: non æque tamen inter omnes, etiam Catholicæ fidei professores, convenit; An inter hujusmodi privilegia computari debeat, quod omnes Controversiæ Ecclesiasticæ, & potissimum majores ac difficiliores, tam ex Oriente, quam Occidente ad Romanum Pontificem, tamquam Supremum judicem finaliter determinandæ referri debeant, quæ est quæstio juris: Et (quod facti est, & hic discutiendum venit) an in primis sæculis, viâ appellationis ad Sedem Romanam delatæ sint causæ majores tam personales, quam religionis. Negant Petrus de Marca *Lib. 7. de Concord. Sacerd. & Imper. cap. 3.* Elias Du Pin *tract. de antiq. Eccles. Dissert. 2.* Paschasius Quenellus Oratorii Berulliani presbyter in *Leone* & quidam modernus anonymus Scriptor Parisiensis, Author operis *de Antiquis & majoribus Epis. causis.* Hæc, cum cæteris plerisque Gallis, abnuunt, quod ante Concilium Sardicense, sæculo IV. celebratum jus illud vigerit, voluntque in eodem Concilio Pontifici Romano duntaxat concessum, ut decernere possit retractationem causæ majoris, seu jus revorsorium. Illi autem qui Romanum Pontificem non agnoscunt Catholicæ Ecclesiæ Caput à Christo fuisse institutum, absolute inficiantur in primis quinque sæculis ad ejus tribunal appellatum fuisse, cujus rei fidem, tum si, tum illi procurare moluntur.

I. Primitivæ Ecclesiæ Patres, ipsique Pontifices tradunt ac declarant, nec posse nec debere Controversiæ Ecclesiasticæ ad Pontificem

scem Romanum referri, aut in causis forensibus à sententia lata Episcoporum in Provinciis ad illum appellari. S. Cyprianus in Concilio residens in *Epistola ad Quintum* sic ait. *Neque enim quisquam nostrum Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit, quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis & potestatis sua arbitrium proprium, tamquam judicari ab alio non possit, cum nec ipse potest alterum judicare: sed expectamus unum universi iudicium Domini nostri IESU Christi, qui unus & solus habet potestatem proponendi nos in Ecclesia sua gubernatione & de actis nostro iudicandi.* Deinde idem Carthaginensis Præsul reprehendens eos, qui ad Romanum Pontificem appellaverant *Lib. 1. Epist. 3.* prohibebat appellationem esse irritam, quod Concilium ita statuisse. *Nam cum statutum sit ab omnibus nobis & equum sit pariter ac iustum, ut uniuscujusque causa illic audiat ubi est crimen admissum... oportet utique eos, quibus præsumus, non circumcursare... nisi si paucis desperatis ac perditis minor videtur esse auctoritas Episcoporum in Africa constitutorum &c.* Hæc ille. Damalus *Epistol. ad Theophilum & Anysium*, quæ inter Ambrosianas est 79. ita scribit. *Cum huiusmodi fuerit Concilii Capuensis iudicium, ut finitimi Bonolo atque ejus accusatoribus iudices tribuerentur; advertimus quod nobis iudicandi forma competere non possit.* Siricius Damiani Successor, cum ab Anysio Thessalonicensium Archi-Episcopo huiusque Suffraganeis requisitus fuisset; ut de Bonolo sententiam ferre dignaretur, respondit in *Epistola 4.* inter Ambrosianas 71. illorum esse sententiam ferre de omnibus, nec refugiendi vel elabendi accusatoribus aut accusato copiam dare. Ergo ipsimet Pontifices, æque ac Africani Episcopi agnoverunt, appellationes sese non posse recipere.

## II. Concilia Generalia ac Provincialia

prohibuerunt appellationes ad Sedem Romanam. In Concilio Nicæno Can. V. qui est de iudiciorum forma & ordine, statuitur, ut Episcopi iudicent: & sententia definitiva Episcopis Provincialibus committitur, sine ullo recurſu, provocatione, aut appellatione ad aliud Dicasterium, Concilium Milevitanum Can. 22. sic statuit. *Quod si ab eis (Episcopis vicinis) provocandum putaverint; non provocent nisi ad Africana Concilia, vel ad Primate Provinciarum suarum. Ad transmarina autem, qui putaverit appellandum, à nullo intra Africam recipiatur.* In Concilio Carthaginensi Anno 418. Patres in causa Apicarii presbyteri depositi ab Urbano Episcopo suo, quam depositionem confirmaverant, dum ille confugeret ad Zosimum Romanum Episcopum, planè recusarunt hanc appellationem admittere: contra quos Pontifex per legatos suos inter cætera urſit, quatenus Decretum Concilii Nicæni de appellationibus Episcoporum in Africa reciperetur. Itaque congregati 217. Episcopi, inter quos S. Augustinus, responderunt Bonifacio Zosimi Successori, se non reperire huiusmodi Canonem Nicænum de appellationibus: nihilominus, salva diligentiori authenticorum exemplariorum inspectione, appellationem permitturos; donec eadem obtinerent ab Ecclesiis Alexandrina & Constantinopolitana; quibus obtentis, dum in iisdem allegatum Canonem non invenissent, post acerrimam disputationem Cælestino Papæ (jam obierat Bonifacius) rescripserunt; & contra futuras appellationes solemniter protestati sunt. Hæc leguntur in Act. Concilii VI. Carthaginensis, & in *Epistola Cyrilli ad Africanos.* Cælestinus autem, ab Africanis Episcopis se victum esse haud agrè passus, nec Legatos in Africam misit; nec appellationes Episcoporum suscepit, nec Clericos Afros ad se confugientes restitui curavit. Quare sicut antea nullæ appellationes in usu fuerunt;

fuerunt ; ita multo minus deinceps , aut receptæ aut permissæ sunt.

Appellationes in primitiva Ecclesia & annis quingentis tam ex Oriente , quàm Occidente ad Sedem Apostolicam factas fuisse præsertim in gravioribus causis , sistent diversarum nationum Romanæ Sedi addicti Scriptores etiam primi ordinis : hancquæ assertionem ex professo tam strenuè quàm plausibiliter ævo nostro argumentis validissimis tuiti sunt præ cæteris Emanuel Schelstrate , Davidius , Christianus Lupus , Ludovicus Maimburg , quibus accensendi Baronius , Bellarminus , etiam Natalis Alexander &c. Pro quibus militant sequentia.

I. Exempla vetustissima ; in quibus non obscura hujus appellationisprehenduntur vestigia. Inprimis Marcion Ponticus , famosus postea hæresiarcha , à suo Episcopo ac proprio genitore ob stuprum cum excommunicatus fuisset , ad Romanam Sedem appellavit. Huic quidem exemplo post alios obstrepit Samuel Basnage *Annal. Polit. Eccles. ad A. C. 131.* pertenuibus mutuatis ratiunculis. Nimirum: *extabat Interpontificium, cum à Romanorum presbyterio admitti in communionem Ecclesiæ Marcion flagitavit ; neque de rescindenda unquam Synopensis Episcopi sententia verbum movit ullum. Aliud vero est , abrogare judicis inferioris decretum, aliud orantem dignari Eucharistiâ.* Quid est nugari , si hoc sit rationari ? Quodli Marcion petiverit in communionem Ecclesiæ Romanæ admitti ; utique implicite petivit , ut Synopensis Episcopi sententia aut nulla & irrita agnosceretur , aut abrogaretur. Noverat quippe , quod nemo Eucharistiæ particeps esse posset ; nisi prius fuisset absolutus , aut sententia excommunicationis irrita declarata fuisset. Urget Annalista. *Imo expressè negat Ecclesia Romana sibi id juris competere invito Synopensi Episcopo , à quo pulsus Ecclesiâ Marcion fuerat , communioni ut resti-*

*tueret. Nobis , inquit , injussu Venerandi Patris tui id non licet. Quis autem ibi inficias summo judici facultatem eam competere , quomisso neglectoque inferioris consensu provocantem absolvere valeat ?* Respondeo, Nemo. Sed omnes eunt inficias , Clerum Romanum esse summum judicem. *Marcion venit Romam , cum mortuus esset Hyginus Episcopus Romanus. Verba sunt Epiphanius hæresi 42. Merito ergo Clerus Romanus, Apostolica Sede vacante , ad quam Marcion provocaverat , negat se quidquam in causa Marcionis contra Episcopum posse statuere. Sed expectasset , instat Natalis Alexander, Marcion Hygino successorem dari , cui appellationis libellum offerret. Cur non expectavit. Cupido & ira pessimi consultores sunt,* scribit Sallustius in *Jugurth.* Obsederat caligotantum Marcionis , atque moræ impatientis ex indignatione sese præcipitantes hereticorum gregi associavit , qui ab ovili Christi erat separatus. Quamprimum Cleri responsum acceperat , perhibente Epiphanius *loc. cit. Emulatione elatus , ubi non accipit presidentiam & Ecclesiæ ingressum , excogitat sibi ipsi consilium , & ad impostoris Cordanis Sectam confugit.* Fuerant Fortunatus & Felix Episcopi in Africa à S. Cypriano depositi : sed ipsi , quod idem Cyprianus *lib. 1. epist. 3.* refert , ad Cornelium Pontificem Romanum appellarunt. Ex ejusdem Epistola 68. ad Clerum & populum Hispanicum habetur , quod Basilides Episcopus in Hispania tanquam libellaticus depositus ad Stephanum appellaverit : huncque gestæ rei ac veritatis ignarum , quemadmodum sanctus Praesul observat *loc. cit.* fefellit , ut exambiret repone se injustè in Episcopatum , de quo fuerat justè depositus. *Videas hoc exemplo , subjungit Baronius ad A. C. 258. n. 3. Antiquissimum usum Ecclesiæ ex remotissimis orbis partibus Episcopos provocare solere ad Romanum Pontificem.* Verum quidem est , quod Cyprianus ab Hispanis Episcopis consultus hanc

Stephani decisionem non justificaverit, atque in Basilidis locum ordinatum esse retinendum censuerit: sed Ecclesia Africana iudicium illud Cypriani minimè approbavit. Etenim in parili causa Augustinus *epist. 162.* Secundum, qui erat Numidia Praefes alioque Numidas increpavit, quod, damnato per ipsos Cæciliano Carthaginiensi Episcopo, Majorinum ordinasset. *Antequam hac damnatio confirmaretur per Romanam Ecclesiam.* Alclepas Episcopus Gazensis in Palæstina inauditus depositus ad Julium Papam appellavit; & per eum Sedi suæ restitutus fuit. Referente Athanasio *Libello de Synod.* Contra Alexandrinum Patriarcham Dionysium accusatio de Arianismo apud præfatum Julium inhibita fuit: resque ad primarium Antistitum omnium iudicem, Romanum Pontificem delata. Baronius *Annal. A. C. 263. n. 13.* Qui indicto Concilio Alexandrinum Patriarcham citavit apud Labbeum in *Conc. Col. max. tom. 1. 830.* Et hic acceptâ epistola ad defensionem se comparavit, scripto *Libello*, cujus titulus, *Refutatio & Apologia.* Equidem a Pontifice excommunicatum fuisse Centuriatores fide sua statuunt. Quamplurimas alias appellationes ex æta antiquitate depromunt Ludovicus Maimbourg *Tract. de iudicio in causa Episcoporum.* Christianus Lupus: locis citandis &c. Omnem contradictionem superant, quæ in verissima Sancti Athanasii Historia perhibentur de illius in ventilata causa facta appellatione ad Julium Pontificem Romanum. Ipsemet Athanasius in *Apologia* scribit. *Quin & Eusebiant ad Julium literas miserunt; & ut nos tererent, Synodum jusserunt convocari: & ipsi Julio, si vellet, arbitrium causa derulerunt.* Legationis quoque meminit Socrates *Lib. 2. cap. 11.* hisce. *Eusebius verò cum, qua voluerat, perfecisset, Legationem misit ad Julium Romanum Episcopum rogans ut causa Athanasii ipse iudex esse vellet, & cognitionem negotii ad se traheret.* Quibus satis perspicu-

um redditur Pontificem Romanum, non ut arbitrum duntaxat à partibus electum, quod modernis quibusdam in mentem venit; sed quatenus superiorem iudicem competentem interpellatum fuisse, qua auctoritate etiam tam in causa aliorum Episcoporum quam Athanasii sententiam pronuntiavit: ac cum per Sedis dignitatem (scribit Sozomenus *lib. 3. hist. cap. 7.*) cura omnium ad ipsum spectaret, singulis suam Ecclesiam restituit, scripsitque ad Episcopos Orientis, eosque incusavit, quod inconsulto de hisce viris iudicassent &c. *Cap. 19.* Apud eundem Historicum Græcum Julius ad Antiochenum Conven-tum scripsit. *Legem esse ad sacerdotii dignitatem spectantem, qua pronuntiat acta illa irrita esse, qua præter sententiam Episcopi Romani constituuntur. Eadem autem qua Tyri & in Marcote adversus Athanasium decernebantur iniqua esse. An ignari estis (urget Pontifex) hanc consuetudinem esse ut primum nobis scribatur, ut HINC quod iustum est, desiniri possit? Quapropter fistic huiusmodi suspicio in Episcopum concepta fuerat, ad nostram Ecclesiam deferri debuit. Rationem dat. Quod Episcopi essent & non vulgares Ecclesie, qua ista patiebantur. Unde rectè post alios multos concludit Eximius P. Lupus, iudicium Episcoporum præsertim Magnatum ac Patriarchalium Sedium reservari debere Sedi Apostolicæ. Quid ad hoc Pacientis Doctor? Hanc esse veterem inquit, consuetudinem arbitratus est Julius: sed multum vereor ne ille non satis ista examina-verit. Et post pauca dicit, Julium & Occidentales hic esse lapsos dum novum istum morem veterem consuetudinem arbitrati sunt. Sic Veterum dicta scriptavè iudicando non multum veretur censorio supercilio & pernicioso exemplo Summum aequè ac alios insignes Ecclesie Præsules erroris & inlicitæ insimulare in negotiis, quæ ipsi tractarunt, & à prædecessoribus illorum sedulo tractata fuerunt. Sus Minervam. Eadem*

solitâ insolentiâ parum reverenter habet alios Pontifices viros sanctissimos. S. Innocentium carpit, quod aliquid de suo addiderit in epistola ad Victorium Episcopum; nimirum: *Sine iudicio Romana Ecclesia Episcoporum iurgium non terminetur secundum Synodum Nicenam.* S. Leonem fugiliat, quod jus sibi indultum à Sardicensi Concilio prætergressus fuerit, atque in Canones multis modis peccaverit. &c. Porro opinio Natalis Alexandri tom. 4. *dissertat. 22.* negans, quod Athanasius fuerit unquam profectus Romam, nisi Julii Pontificis litteris citatus, ut impactas sibi ab Eusebianis calumnias dilueret, repugnat citatis Historicis: eamque assertionem Romani Censores delendam iudicaverunt. Merito, quia ex cit. Sozomeno *cap. 7.* liquet, quod Athanasius fugiens Alexandria Romam pervenerit; ubi litteras Julii, cum obtinisset, ad suam Sedem reversus, has Episcopis Orientis communicavit. Suborta nova tempestate tursus Romam venit, ut idem Historicus narrat *cap. 8.*

Lubet insuper duo apertissima ad Sedem Romanam appellationis exempla adungere. Anno 412. in Concilio Carthaginensi Cælestius, Pelagii affecla damnatus, ab Africanorum sententia ad Romani Episcopi examen appellandum esse credidit. Verba sunt Martii Mercatoris, Authoris coevi. Quid ad hæc Adversarii? *Cælestium ad Innocentium appellasse certum est.* ait Du Pin *loc. cit.* Verum est, quod Cælestius appellaverit ad Papam. Ita fatetur Jacobus Basnage in edita Anno 1699. Roterodami Historia Ecclesie *Lib. 4. cap. 6. num. 10.* Sed incertum est, dicunt, utrum Innocentius hanc appellationem gratam habuerit. Quid tunc? Certo certius, ajunt, Africanos illam appellationem flocci fecisse. Unde illa certitudo habetur: Ex epistola Africanorum Episcoporum in causa Apiarii scripta ad Cælestinum Pontificem Maximum, in qua protestantur, se non posse pati appellationes Episcoporum neque

Clericorum refugia. Verum epistolam esse suppositam luculenter demonstrant Roussel *Histor. sur saint. Pontific. Antonius Capellus &c.*

Alia eodem tempore legitur facta Appellatio ad Sedem Apostolicam. Antonius quidam monachus, ab Augustino, qui eum Episcopum Fusalanum curaverat ordinari, ob perversam indolem & actiones scandalositas fuit per eundem ab officii administratione semotus. Ipse autem ad Bonifacium Pontificem appellavit, qui illum iussit restitui in integrum. Successor Bonifacii Cælestinus hoc prædecessoris iudicium approbavit: voluitque ut per vim, si aliter fieri nequirit, sententia executioni mandaretur; à quo proposito S. Augustinus epistola paranetica Pontificem desistere conatus fuit. Tantum verò abest, quod Appellationem Antonii improbaverit, ut agnoscens antiquissimum appellationis usum eidem epistolæ, quæ est 209. inseruerit. *Existunt exempla, ipsa Sede Apostolica iudicante, vel aliorum iudicia confirmante, quosdam pro culpis quibusdam nec Episcopali spoliatos honore, nec relictis omnimodè impunitos: quæ, ut à nostris temporibus remotissima non requirant, recentia commemorabo.* Clamet Priscus Provincia Cararensis; & clamet alius ejusdem Provincia Victor; & clamet tertius ejusdem Provincia Laurentius? Hoc tam evidenti viâ in antiquitate versatissimi testimonio prelli Adversarii, ut eluctentur quidam eorum respondent, epistolam illam nonniti in anno 200. circiter annorum libro Bibliothecæ Vaticanæ repertam, esse confictam. Hoc tamen ob styli Augustiniani omnimodam similitudinem, difficulter admitti posse; sed pro genuina agnoscendam esse conficitur supra citatus Basnage: quidquid Du Pino videtur elegantior ac rhetoricis figuris ornator, quam Augustinianæ esse soleant epistolæ. Si tamen pro genuina habenda, ipse arbitrat, hæc ab Augustino oratorio more &

ad captandam Cælestini gratiam esse dicta. En epicritum ingeniosam interpretis sagacissimi. Ne tamen nihil dixisse videretur, ex Augustini intercessione vult constare. Augustinum non existimasse Romano Pontifici jus esse restituendi Episcopi in provincia dejecti; alioquin ipse parasset ejus decreto, nec tenuisset, ne per vim ad id cogeretur. Imo vero, quia S. Pater agnovit & credidit id juris competere Cælestino, submisit deprecatus fuit, ne sententiam latam executioni mandari sineret; qui alioquin contra attentata alio modo processisset & in aliena Provincia jus sibi non competens usurpare volenti interceptum obtulisset. Aliam viam evasionis; sed à vero abducentem ingreditur Du Pin. Nimirum antiqua exempla Augustinus minime commemorat: sed tantum recentia; quæ nihil obsunt; cum contigerint eo tempore, quod interfluxit ab appellatione Appianæ ad reditum Africanorum Legatorum ex Oriente, quod Africani statuerant se Sardicenses Canones, qui nomine Nicanorum obtulerunt tantisper servaturos, donec compertissent an revera essent Concilii Nicæni. Sed tota via aberrat vir eruditionis laude conspicuus: ipseque Balsage censet hanc observationem non tollere difficultatem; quandoquidem S. Augustinus de facto hujusmodi Decreta à Sede Apostolica emanata recentear: neque verisimile sit, quod adducta tria exempla præcise sexenni spatio in una Provincia scilicet Mauritania Cæsarensi contigerint. Et verò S. Præsul non dicat explicitis verbis, Antonium, aut alios nominatos Episcopos ad Pontificem appellasse, ad quod uterque Scriptor reflectit, & Parisiensis cæcum velit, qui non videat, hæc exempla non esse appellantium Episcoporum; eundem (quidquid ipse pulverem oculis effundat) legentibus epistolam Augustini, sine præjudicio, judicium non eripit, quominus in eadem verarum Appellationum verissima deprehendantur documenta.

II. In Concilio Sardicensi Anno 347. Patres ultra 300. ex 36. Provinciis Orbis Christiani; recensente Arhanasio 2. Apol. viro, congregati Canone VII. statuerunt, summam de Appellationibus judicandi potestatem rectè competere Pontifici Romano. Quem quidem Canonem Petrus de Marca, Du Pin, uterque Balsage &c. miris, ineptis & heteroclitis interpretamentis in sensum reprobrum exponere conantur: sed quocunque se vertant, ludificando operam perdunt. Sic autem habet Canon ille. *Placuit, ut si Episcopus accusatus fuerit, & judicaverint Episcopi regionis ipsius, & de gradu suo eum desecerint. Si appellaverit, qui dejectus, & confugerit ad Episcopum Romana Ecclesie; & voluerit se audiri, si justum putaverit, ut renovetur judicium, scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima & propinqua provincia sunt: ut ipsi diligenter omnino requirant, & juxta fidem veritatis desiniant. Quod si is, qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione sua moverit Episcopum Romanum, ut è latere suo presbyterum mittat; erit in potestate Episcopi, quid velit & quid estimet. Et si decreverit, mittendos esse, qui presentes cum Episcopis judicent, habentes ejus auctoritatem, à quo missi sunt, erit in suo arbitrio: si vero creiderit, Episcopos sufficere, ut negotio terminum imponant, faciet, quod sapientissimo suo consilio judicaverit.* Hoc Canone, asserunt citari Auctores, Pontifici Romano non vindicatur facultas de Appellationibus judicandi: sed jus revisionis: idque evincere volunt; quod alias summa de Episcoporum Appellationibus judicandi potestas in ipso Ecclesie Romanae tribunali exerceri debuisset: deinde à Pontifice dissolvi vel confirmari judicium oportuit. Non committitur illi, ut sententiam confirmet, aut rescindat: sed ut judicet, renovandumne sit judicium. Non etiam ipse judicat; sed dat iudices: neque Romæ; sed in finitima Provincia sententia pronun-



riatur. Denique non Episcopi Romani nomine Præfules judicant, quæ persona est presbyteri ab eo missi; sed ut arbitri, iudicesque in ea lite designati pronuntiant ex facultate concessa Pontifici nominandi ad renovandum causæ examen alios etiam iudices &c. Hujusmodi sunt eorum rationes obstantes. Verum viri illi

Ovid. epist. 5.

*Non profecturis littora bobus arant*

Quorum inania glossemata minimè esse conformia ei, quam Patrum Sardicensium animo mentem sedisse liquet, ex ipso Canone quarto satis apparet. Hoc enim statuitur. *Cum aliquis Episcopus depositus fuerit, eorum Episcoporum iudicio, qui in vicinis locis commorantur, & proclamaverit agendum sibi negotium in urbe Roma, alter Episcopus in ejus Cathedra post appellationem ejus, qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur: nisi causa fuerit in iudicio Episcopi Romani dictatoria Authoritate, censet. Verbum istud Canone 7. Si appellaverit. Non debet stricte sumi pro vera & proprie dicta appellatione: sed generatim pro omni confugio ad Superiorem. Interpellatque Græcam fidem Achæi interpretis. Pari licentia interpretatur illud Canonis citati. Nisi causa fuerit in iudicio Episcopi Romani determinata. Nimirum, non significat causam à Romano Pontifice judicandam: sed tantum ab eo determinandum, utrum locus sit novo examini & iudicio: sed tantum utrum causa sit tractanda in Provincia nec ne. Tales commentitias explicationes Scriptor ille excogitat, sensusque violentos introducit, quatenus suis ideis serviant.*

Verum enim verò, qui ex hoc Statuto Synodi, quam etiam Centuriatores *Cent. 4. cap. 9.* Legitimam agnoscunt, non intelligit jure ad Pontificem appellari posse, Næ sponte sua cæcutire velle reputandus est.

Quo pariter objectiunculæ illæ ad nihilum rediguntur; quas equidem nullius momenti esse patet ex contraria praxi tum antiqua, tum recentiori, in Curia Romana perpetuo observata. Neque per hos Canones, ut hivolè prætenditur, nova fuit in Ecclesiâ inventa disciplina: liquidem ea, quæ superius *num. 1.* adducta sunt de Appellationibus, antequam hoc Concilium fuit inchoatum, abundè contrarium evincunt. Quare Adversarii nodum in scripto quarunt, dum ex illis verbis in dicto Concilio. *Si vestra dilectam videtur Petri Apostoli memoriam honoremus.* Colligunt eum velle indicare, se novum quidpiam, & ante hac inusitatum proponere, quodque ex Patrum Sardicensium pendebat arbitrio.

Nam ut ingeniosissimus observat Bellarminus, Esto ante hac, conformiter Traditioni Apostolicæ, ad summum Pontificem, velut supremum Judicem, semper appellari potuisse perspicuum esset: tamen an expediret ea potestate uti ubique locorum, non absque causa dubitatum fuit: præsertim quod ex permissione promiscuæ appellationis facile contingere possit, ut multi estrogiant legitima iudicia, ut immeritò vexentur Episcopi, qui primò judicârunt, ut causæ alioquin faciles & perspicuæ in longum tempus protrahantur &c. Atque hinc S. Cyprianus *lib. 1. epist. 3. & 4.* conqueritur de iis, qui semel legitime judicati sunt & damnati, Romam ad Pontificem appellabant. Et S. Bernardus *Lib. 3. de Confid. ad Eugen.* enumerat incommoda, quæ ex nimia frequentia Appellationum oriuntur. Quibus de causis, cum fortè in quibusdam Provinciis Appellationes non essent usitate, more in Conciliis usitato, Osius proposuit, an Patribus videatur expedire, ut in memoriam S. Petri jus, Sedi Romanæ annexum, ubique exerceatur, ac sine delectu & exceptione Episcopis cunctis permittantur Appellationes. Voluit quoque Samuel Bafnage huc Symbolum

lum suum conferre, contenditque, quam abforum est, ad placitum proponere, an in nomine Sanctissimæ Trinitatis baptizandum, vel an Eucharistia in pane & vino consecranda; tam ineptum esse requirere Episcoporum placitum de appellatione, si ex Divino Instituto hæc omnia proveniant. Ast nihil ad chordam. Quandoquidem nunquam subdubitatum fuit, aut dubium esse potuit, num convenienter adhibenda sit vel forma, vel materia Sacramentorum: dubitatum fuit ex rationibus memoratis an expediret ubicunque & quomodocunque permittere indifferenter provocaciones ad Sedem Romanam: cumquæ propositum illud fuisset; Concilium Sardicense, ipso etiam consentiente summo Pontifice, declaravit, expedire, ut ordinariè presbyteris & aliis minoribus Clericis Appellatio concedatur ab Episcopis ad Concilium Provinciale; Episcopis autem ad summum Pontificem.

III. Primis sex sæculis ad Petri cathedram Romanam in causis majoribus & difficilioribus appellatum fuisse luce meridiana clarius redditur ex Decretis, Rescriptis, Bullisvè Romanorum Pontificum qui ævo illo Ecclesiam rexerunt. Possent quidem in medium proferri testimonia Anacleri, Evaristi, Alexandri, Aniceti, Eleutherii, Victoris, Zepherini, Sixti, Marcellini, Marcelli, Melchiadis: Verum quia duodecim primorum Pontificum epistola à multis pseudopigraphæ habentur, à pluribus in dubium vocantur; quidquid Franciscus Turcianus, libris contra Centuriatores Anno 1573. Coloniae editis, propugnet authenticas; ex certioribus subsequentium Summorum Pontificum decretalibus litteris testatissimum evadit, appellationes illas competenter, ritè valideque factas & efficaces fuisse. Atque imprimis Julius Pontifex in citata epistola addit. *Sicut B. Petrus Apostolus primus fuit omnium, ita & hæc Ecclesia suo nomine consecrata, Domino instituenta, prima & caput sit cæterarum: &*

*ad eam quasi apicem omnes majores Ecclesie cause, & judicia Episcoporum recurrant, ejusque iusta terminum sumant sententia.* Damalus in Epist. ad Stephanum Archi-Episcopum & Episcopos Africanos, qui opem ejus imploraverant, scribit: *Discutere & summorum Ecclesiasticorum negotiorum causas Metropolitanis, unà cum omnibus suis provincialibus; ita, ut nemo ex omnibus eis desit, & omnes in singulorum concordent negotiis, licet: sed desinere eorum atque Ecclesiasticarum summas querelas causarum, vel damnare Episcopos absque hujus Sanctæ Sedis Auctoritate minime licet, quam omnes appellare si necesse fuerit, & ejus fulciri auxilio oportet.* Et paulò post. *Nam si quid forte in eis, aut contra eos emergerat: nostrum fuerat expectandum examen; ut nostra (ut semper huic fuit Sedi concessum privilegium) aut condemnarentur Auctoritate, aut fulcerentur auxilio.* Et deinceps infra. *Patenter enim & his & aliis innumerabilibus Decretorum testimonis omnibus manifestum est, non deberi Episcopum damnari; licet ejus perscrutetur opinio, donec iudicium de ore nostra Apostolica Auctoritatis, hoc est Principis Apostolorum cognoscatur.* Innocentius epistola 67. ad Episcopos in Viennensi Provincia scribit. *Nobiscum vestra Fraternitas recognoscat, Apostolicam Sedem pro sui reverentia à vestra etiam Provincia sacerdotibus innumeris etiam relationibus esse consultam, & pro diversarum (quemadmodum etiam vetus consuetudo poscebat) appellatione causarum aut retractata, aut firmata fuisse iudicia.* Leo Magnus epistola 86. ad Episcopos Mauritaniae declarat, quod Lupicinum contra sententiam Africanorum appellansem receperit, jubetque ut denuo causa ejus examinetur. Quenellus, cum exemplum appellationis in hac epistola contineretur indubitatum, omnem movit lapidem, nihilque intactum reliquit, ut supposititiam esse, aut corruptam persuaderet: sed criticos extra partes posi-

tos non induxit, ut credant. Gelasius *Epistola ad Faustum*. Nobis, inquit opponunt *Canones*, dum nesciunt, quid loquantur; contra quos hoc ipsi venire se produunt, quod prima *Sedi sana rectaque suadenti parere fugiunt: ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesie ad hujus Sedis examen voluere deferri: ab ipsa vero nusquam appellari saxeerunt*. Idem Pontifex Acatio Episcopo Constantinopolitano commiserat curam Ecclesiarum omnium in *Egypto*; atque ut Alexandrinum Episcopum deponeret. Dumque is cunctaretur, Pontifex ad Episcopos Dardaniæ scribit. *Cur non ad Sedem Apostolicam, à qua fit curam illarum regionum noverat delegatam, referre curavit Acarius?* Vigilius *Epistola ad Euterum cap. 7*. scribit. *Ad quam (Ecclesiam Romanam) tam summa Episcoporum negotia & iudicia atque quærelæ, quam & majores Ecclesiarum quæstiones, quasi ad Caput semper referenda sunt...* Unde omnium appellantium *Apostolicam Sedem Episcoporum iudicia, & cunctarum majorum negotia causarum eidem Sanctæ Sedi reservata esse liquet: præsertim cum in his omnibus ejus expectandum sit consultum; cujus tramiti si quis obviare tentaverit sacerdotum, causas se, non sine honoris sui periculo, apud eandem Sedem Sanctam noverit redditurum.*

Tam eximia sunt hæc & illustria, quin & omni exceptione majora testimonia de Appellationibus ad Pontificem Romanum, cæteris prætermittis, censentur: ut nullus prudenter debeat, nec sepositis præjudiciis, possit ambigere de earundem perpetua præxi in primis sæculis. Neque enim vel tenuissimam suspicionem de falsitate assertionis formate fas est, quam eorum toto mundo ac universa posteritate protulerunt tot tantique Pontifices, qui, etiam fatentibus Adversariis, fuerunt viri integerrimi patiterque doctissimi: Et quomodo coram omnibus Præsulibus scientissimis totius Orientis & Occidentis, ad quos, vel sigillatim, vel

conjunctim, litteras dederunt, hoc justipremum sibi vindicare aut allegare, tam læpe & serio prætere, ac vigore illius cum summa auctoritate vel mandare, quin & perfractè contravenientibus censurâ minari, ac re ipsa, quando ita ferebat & exigebat iusta evidensque necessitas, infringere aut fuissent, si orbi constitisset, jus illud ad Sedem Romanam, in qua Judex supremus Ecclesiasticus residet, non spectare. Quamquam autem assertio hæc, ut ex superioribus argumentis liquet, sola Pontificum Romanorum in propria causa, ut apparet, nequaquam nitatur testificatione; sit nihilominus sequens Mantissa in eisdem assertionis confirmationem.

IV. Græcorum pariter & Latinorum Orthodoxorum Patrum conspirantia testimonia falsum esse arguunt, quod Du Pin præterdit *Canones Sardicentis Concilii IV. & VII.* non fuisse in observantia. Illi tamen & verbis & re ipsa etiam professi sunt ad Sedem Apostolicam convenienter appellationem intitu: hancque perpetuam præxi instabunt, quando iniquis machinationibus oppressi, vel injustè condemnati, hoc ultimum remedium juris, appellationem iudicalem vel extrajudicalem seu provocationem adhibuerunt in sui defensionem. Petres in Synodo Alexandrina, cui interfuit S. Athanasius, congregati ad Felicem Papam qui præfuit Ecclesiæ post Liberium, hæc scribunt. *Idco Pater beatissime quia semper Antecessores nostri, & nos à vestra Sancta Apostolica Sede auxilium hausimus, & nostri vos curam habere agnovimus præfatam Apostolicam & summam expectimus, juxta Canonum Decreta, Sedem; ut inde auxilium capiamus, unde decessores nostri ordinationes & dogmata atque sublevationes ceperunt, quod nequaquam vobis inconsultis agere præsumimus: Canonibus quippe jubentibus, absque Romano de majoribus causis nihil debere decernere Pontifice: ideoque ad præpositam recurrere*

recurretes, & ad bravium properantes Vestra Apostolica Sedis imploramus auxilium... Nam scimus in Nicana magna Synodo 318. Episcoporum ab omnibus concorditer esse roboratum; non debere absque Romani Pontifici sententia Concilia celebrari nec Episcopos damnari. Et paucis interjectis prolequuntur. Similiter & à supradictis Patribus est definitum consonanter, ut si quisquam Episcoporum aut Metropolitani aut Comprovinciales, vel iudices suspectos habuerit, Vestram Sanctam Romanam interpellat Sedem... Nam sicut semper Vestra Sancta & Apostolica Sedi licentia iniuste damnatos, vel excommunicatos, potest atque sua auctoritate restituere & sua eis omnia reddere: & illos qui eos condemnaverunt Apostolico punire privilegio, sicut etiam nostris & anterioribus cognovimus actum temporibus. Cui hæc ad verificandum assertum non sufficiunt, nihil sufficit. Tria Concilia Africana in Epistola ad Damasum, Felicis Successorem, profertur, notumque faciunt, quod quidam fratres in confinio positi quosdam fratres, venerabiles scilicet Episcopos Pontifice inconstituito, à proprio deiecerint gradu, vel deiecere moliantur. Cum Vestra Sedi, (perquam) Episcoporum iudicia & summorum sine Ecclesiasticorum negotiorum in honorem beatissimi Petri, Patrum Decreta omnium, cunctam referre sententiam inquirendi de Dei rebus, quas omni cura & solitudine observare debemus. Maxime vero debeat ab ipso Presulum examinari vertice Apostolico: cuius vetusta sollicitudo est, tam mala damnare, quam revelare landanda. Antiquis enim regulis censuræ est: ut quidquid horum, quantumvis in remotis, vel in longinquo positus ageretur Provinciis; non prius tractandum vel recipiendum sit, nisi ad notitiam Alma Sedis Vestra fuisset deductum, nisi eius Auctoritate, juxta quod fuisset pronuntiatum, firmaretur. Hunc morem ad Romanam Sedem recurrendi iis temporibus

fuisse usitatum, habetur etiam ex historia probatissima S. Joannis Chrysostomi, qui a Theophilo Alexandrino in Concilio multorum Episcopatu iniuste depositus ad Innocentium Papam appellavit & Epistolam scripsit. Obsecro, ut scribas, quod hæc tam iniquè facta non habeant robur: illi autem, qui inique egerunt poena Ecclesiasticarum legum subjaceant. In Epistola tamen secunda ad eundem, petit, ne inimicos, si curari velint, gravius puniat, aut excommunicet, licet bene essent meriti. Vestram, ait, oro vigilanciam; ut, licet omnia tumultibus impleverint; si tamen morbo curari voluerint ne affligantur, neque e cætu ejiciantur. Cum autem appellatione interjecta Episcopi Africani nihilominus ad sententiam executionem processissent; illud Honorius Imperator ad fratrem, in Oriente regnantem perhibuit. Erat inter Episcopos casus, scribit, qua colato, tractatoque consilio debebat absolvi. Missi ad sacerdotes Urbis æternæ atque Italiae ex utraque parte Legati expectabantur, ex omnium auctoritate sententia informatura regulam disciplina. Integrum nempe esse debuerat, neque quidquam novari, dum definitio deliberata procederet. Cum interea mirum quoddam precipitum festinationis exarsit: ut non expectatis litteris sacerdotum, qui fuerunt mutua pariter legatione consulti, in exilium traderentur Antistites, animadversioni prius addicti, quam sententiam iudicis Episcopalis experti. Hæc Honorius in gratiam Chrysostomi: quo vel cæco apparet, quod in causa illa famosa, stante Appellatione ad Sedem Romanam, fas non esset sententiam latam exequi. Quæ Du Pin hic oggerit; hæc, ut Cicero de Nat. Deor. Lib. 2. 83. ait, & plena sunt futilitatis summæque levitatis. Vitiligatoris est, cum nucleum teneat, de cortice altercari. Eandem rursus incidem Jacobus Basnage ubi supra, qui Lib. 2. cap. 2. n. 5. appellationem hanc convellere nititur argumentis frivolis pureque negati-

negativis. Palmare est illud, quod Theophilus non respexerit attentatam Appellationem; eò quod contra appellansem, velut depositum processerit. Quasi vero contumaces, refractarii, rebelles seu seditiosi Supremo Judici jus acquisitum adimere possent: quodque Chryostomus fuerit reprehensus quia sine Concilii novi Decreto fuisset reversus, non autem quod sine litteris Innocentii, ad quem solum spectasset depositum Sedi suæ restituere. Sed nebulae sunt in pariete, quomodo Ausonius ait. Innocentius, ut alii Pontifices poterant, ea, qua pollebat facultate poterat id mandare: sed contra obstinatos efficacius, ut in litteris ad Chryostomum memorat, remedium adhibendum ratus Synodum congregare voluit, per quam divina voluntate turbulenti isti motus conspici possint. Et hoc est, quod Palladius in *vita Chryst.* ait, Papam Chryostomo auxiliari non potuisse. Illud quoque interque Scriptor agglomerat, Chryostomum Venerio Mediolanensi & Chromatio Aquileiensi litteras misisse, æquales Innocentio scriptas, ut ipsemet prodit; Ergo Appellatio Chryostomi exinde deduci non poterit; nisi etiam ad illos appellasse dicatur, quorum nonnulli parricinium impleraverat. Verum quod eandem Epistolam Chryostomus miserit non legitur. Quod juxta haruspicinam Balsagianam id sit expunctum, ut alia substitueretur magis Pontifici favorabilis, probandum restat id pretendenti aequè ac quod suum interpretamentum præferendum sit Blondelli legentis in Palladio, quod Chryostomus communicaverit dictis Episcopis. Hoc factæ Appellationi minimè obstat, eandem res; non, ut ille vult, eandem Epistolam scripserit. Incumbit quoque Du Pino onus probandi interpolatum illud in memorata Epistola Chryostomi. *Auctoritate vestra decernite. Nos jubete restitui.* Neque enim Respublica litteraria viros hoscæ Pythagoræ loco habet, ut quidquid dixerint, ra-

tum habeatur. Multus est in eo Magister Parisiensis, ut convellat Palladii testimonium, scilicet, quod Theophili iudicium Innocentius cassum ac irritum decreverit; quam intercalationem tribuit Ambrosio Camaldulensi, veteri Palladii interpreti, Eugenii IV. studiosissimo; præfertque conterranet sui Bogotii (ut semper græculus assidet græco) translationem ex græco, in qua hoc non legitur. Legitur autem apud Facundum Episcopum Africanum supporem in præclaro illo opere pro defensione trium capitulorum, quod Simondus Anno 1629. evulgavit & notis eruditis illustravit *Lib. 6. cap. 3.* Nec refert, quod res tunc ex voto obsistente Eudoxia Imperatrice, non successerit. Hoc enim ex omni ævo & pro dolor etiam nostro compertum habemus, Pontificum Romanorum Constitutiones non ea, qua par est, submissione recipi; quo tamen jus illi non adimitur, & apud obsequentes intemetum manet.

Falsum ergo, quod Du Pinus scribit; nullum omnino alicujus fidei Scriptorem prodidisse memoriæ, aliquod Decretum ab Innocentio emissum, ad irritandum iudicium à Theophilo in Chryostomum latum. Quod quod Gelasius Pontifex in Epistola ad Orientales ab eodem Simondo publicata expressis verbis referat Innocentii auctoritate Chryostomum integrè restitutum? Ad hoc loc. cit. P. 2. reponit, citra

*Metam. 1.*

*Ejectum semel attrita fronte ruborem,*

*Mitto nunc Gelasii Auctoritatem, qui dicit Chryostomum absque ulla Synodo solius Apostolica Sedis iudicio absolutum: hæc quippe Gelasius dicebat eo tempore, quo Romani Pontifices jus admittendarum appellationum sibi arrogabant, solebantque ad illud consuetudinem adducere exempla Episcoporum, qui vexati in Oriente ad Occidentales confugerant.*

Sic facer homo sacram ancoram solvit , quando virum , testante Martyrologio Romano ad diem 21. Novemb. sanctitate & doctrina conspicuum officiosi mendacii & imposturæ reum arguit. Atque iste est genuinus ac proprius præjudicii laborantium character ; ut , quidquid suis præconcepis opinionibus officit , seu non subservit , falsum , intercalatum , adulterinum , mutilum & truncatum pronuntiare præsumant , qui temerario ausu semetipsos constituunt in Republica litteraria Ephoros suoque arbitratu sunt oculatores Lynceo , auritiores Myda , sagaciori naso , quam Plauti illa anus mero bibula , perfectiorem encyclopædiam allecui , quam Hippas , omnesque veteres , medios recentisque Scriptores suæ catacrisi subiectos credunt , cui velut Dodonæo indubitata quoque fides adhibenda sit oraculo. Alia adhuc leguntur Appellationum specimen apud Lupum Dissert. de Afric. Eccles. Rom. appellat. Alia in Epistolis Pontificum , quæ recitantur in act. Conc. Rom. sub Bonifacio II. Anno 431. evulgatis per Lucam Holsteiniū ex vetustissimis Bibliothecæ Barberinæ manuscriptis. Non credit tamen Da Pinus ex his omnibus aliquid in appellationem ad Romanum Pontificem , posse in eorum gratiam inferri ; aut ullam damnatis provocationem ad Papam fuisse permissam : suaque sensa tam firmas egerunt radices , ut quidquid cum eis non convenit , erroneum esse autumet : adeoque huic viro congruentius applicabitur , quod ipse de æmulo suo scribit. *Quid facias homini, qui non aliter de veritate , quam ex præjudicatis opinionibus suis statuit ? Jubeas hunc miserum esse libenter.* Verum ipsemet inquirendo veritatem suis opinionibus heteroclitis præventus miseram messem messuit , ut Stobæus ait , dum litteris , ut vocant , obfiguratis Rex jubet hunc miserum esse illubenter , quibus addacta quasi

Valer. 1. Argon.

*Volat immisis cava PINUS habenis misoriisque aliquamdiu subactus Piscator ictus sapuit.*

Nec leve pondus assertioni de appellatione adjicit autoritas Magni Patris Augustini , dum Epistola 162. Signanter exprimit, licet Episcopis Africanis appellare ultra mare , utique ad Romanam Petri Sedem, quam tantopere semper veneratus fuit. Quod de Theodoro , Cyri in Africa Episcopo perhibetur , rem confirmat. Præerat ille Octingentis Ecclesiæ Sæculo V. dum eum Adversarii spoliarent sacerdotio , ut in epist. ad Renatum presbyterum Romanum conqueritur , ejectionque ex civitatibus , neque ætatem in religione exactam , neque canitiem veriti : quamobrem precatur eum, ut Sanctissimo Archi-Episcopo & Leoni persuadeat , quatenus Apostolica utatur Autoritate , *Tenet enim , ( scribit ) Sancta ista Sedes gubernacula regendarum cuncti orbis Ecclesiarum.* Idem in epist. ad præfatum Pontificem. *Ego , ( inquit ) Apostolica Sedis vestre expecto sententiam , & supplico & obsecro vestram Sanctitatem , ut mihi opem ferat justum vestrum & rectum appellanti judicium , & jubeat ad Vos accurrere & ostendere meam doctrinam vestigia Apostolica sequentem.*

Sæculo VI. Gregorius Magnus sacra communione privavit Joannem Episcopum Græcum primæ Justinianæ , quod judicasset Thebanum Episcopum , postquam hic ad Sedem Romanam appellaverat. Vid. Lib. 2. epist. 6. Idem Lib. 2. epist. 72. & 75. item Lib. 7. epist. 32. jus appellationis & jurisdictionem suam in Provincias Africanas manifestè declarat. Dumque Episcopus quidam inibi ab aliis depositus ad Gregorium appellasset ; hicque plenam cautæ cognitionem non obtinisset ut retractaret sententiam latam , Columbo Numidiæ Episcopo alitque commisit judicium. Vid. Lib. 5. epist. 5.

Ad posteriora sæcula rem deducere usque

A a a

in mo

in medium ævum non erit operæ pretium, tum quod esset soli facem accendere: tum quod testimonia inde deprompta nullo sint pretio Adversariis, potissimum iis, qui absurdum illud commentum, de collato Primatu per Phocam Imperatorem Pontifici Romano verum contendunt. Quare nil superesse videtur, quam ut argumenta ab his & ab aliis in contrarium superius producta justis examinentur ponderibus.

Ad Primum Respondetur. S. Cyprianus ut supradictum, non omnem appellationem improbat: sed duntaxat reprehendit appellantes convictos ac condemnatos de manifestis criminibus. Nam *loc. cit.* Basilidem in Hispania damnatum, & ad Romanum Pontificem appellatum asserit magis culpandum, quam Pontificem, qui circumventus appellationem illam admisit: qui tamen valde reprehensibilis fuisset, si nullum prorsus jus recipiendi appellationem habuisset, & tamen Basilidem recepisset. Dam vero dicitur. *Illic causa audiat, ubi est crimen admissum*, decernitur; ut ibi causa primum examinetur, judicetur, ubi est crimen patratum: quo tamen nequaquam prohibetur; ut à superiore iudice, si expedire videatur, non discutiatur. Quod autem subjungitur, Africanos Episcopos non esse minoris autoritatis: bene observat Bellarminus illud *minoris*, non esse referendum comparative ad Romanum Pontificem: sed ad causam, de qua tunc agebatur. Et sensus est. Episcopos Africanos non fuisse minoris autoritatis, quam sufficeret ad eam causam judicandam. Quod in Epistola ad Quintum scribit idem Sanctus Præful, *Neminem se facere Episcopum Episcoporum*, intelligendus venit de iis, qui in Concilio erant Carthaginensi absque respectu ad Pontificem Romanum. Quodque ait, Episcopum non posse judicari nisi à Deo, sicut à solo Deo constituitur, exponit S. Augustinus *Lib. 3. de Baptis. cap. 3. O-*

*pinor, inquit, in his questionibus, quæ nondum aliquantissima perfectione discussa sunt.* id est in rebus dubiis & occultis, quæ diu discutiuntur, quivis Episcopus potest libere suam proferre sententiam; neque debet præside tyrannice cogi ad suam sententiam, antequam quaestio est decisa. Constat aliquin S. Cyprianum agnovisse Pontificem alius Episcopis superiorem, qui *Lib. 3. Epist. 13. ad Stephanum Papam* scribit, quatenus Episcopum Arelatensem in Gallia deponat, aliumque substituat. Quod profecto ab eo non postulasset, si in Gallia Episcopos jurisdictionem habuisse non credidisset.

Damasus Pontifex, si tamen citata Epistola illius sit, de quo aliqui dubitant, non dicit se non posse judicare: sed declarat, non expedire, ut hic & nunc judicet; quandoquidem Provinciale Concilium jam statuerat, quod æquum videbatur. Illud autem sine gravi causa rescindere minime conveniens erat. Omnia mihi licent: sed non omnia expediunt. Inquit Apostolus Paulus. Quod de Siricio Pontifice adfertur, appellationis praxin in majoribus causis manifestè adstruit. Noluit autem in Epistola citata, quam quidam in dubium vocant, appellationem recipere: non quasi hoc sibi non esset integrum: sed quia Capuensis Synodus causam Bonosi ad Metropolitanum & ejus Episcopos Suffraganeos detulisset, voluit Pontifex, ut via juris Ordinaria observaretur, & secundum Statuta Diocesana ibi petus sententia ferretur, quo appellatum tuerat.

Ad Secundum Respondetur. In præsentiarum non controversitur, an in quibuscunque causis appellationes ad Sedem Romanam sæculis prioribus fuerint usitate: sed an in causa Episcoporum condemnatorum, aliisque gravioribus litigiis ritè ejusmodi appellationes fuerint institutæ. Canon autem ille XXII. Concilii Milevitani, quem Jac. Bafnage, malè Richerium corrigens, dicit

dicat esse Concilii Generalis Carthaginensis, agit de causis presbyterorum & minorum Clericorum, ut cum aliis etiam animadvertit Cardinalis Notifius *Hist. Pelag. Lib. 1. cap. 10.* idque ex tenore verborum, quo Concilium inchoatur, sufficienter patet. Sic enim legitur. *Placuit ut presbyteri Diaconi, vel ceteri inferiores clerici in causis quas haberint &c.* Et quia hæc Synodus sine limitatione ab Innocentio I. Pontifice Maximo fuit approbata per Epistolam quæ est 39. inter Augustinianas, à verisimilitudinis specie relinquitur, quod in ea fuerit aliquid statutum Apostolicæ Sedi derogativum. Hinc rursus apparet ea, quam Bellarminus notat, Calvini incitiam & rudis oscitantia, dum *Lib. 4. Instit. cap. 7.* vult Zosimum fuisse conatum efficere, ut Canon ille Concilii Meleuitani in Concilio VI. Carthaginensi corrigetur: Cùm è contrario constet hunc Pontificem iussisse, ut Decretum istud confirmaretur, & ad praxin redigeretur.

Illud verò in quo Centuriatores alique passim ingenti cum stridore Achillem statuerunt, de resistantia Patrum Concilii Carthaginensis, non est operosum excutere. Atque imprimis Zosimus nequaquam ab Episcopis illis exegit facultatem sibi concedi seu jurisdictionem tribui in Africam aliasque regiones, neque eidem ab ipsis denegata fuit, ut falso & imprudenter comminiscitur Flaccius Illyricus in *Hist. Concil. VI. Carthagin.* Frustra namque petiisset, quod noverat absque eorum consensu sibi competere, quodque illi respectu aliarum Nationum exterarum non poterant concedere; sed voluit solummodo Pontifex, ut matura deliberatione Patres congregati opportunè discuterent, num expediret, ut conformiter Decreto Nicæni Concilii in Asia, etiam in Africa statueretur, quod jus appellationis ad Sedem Romanam in causis gravioribus ad praxin reducatur. Quod autem Legati Pontificis Fortunatus Episcopus, Philippus &

Acellus presbyteri allegaverint Canonem Concilii Nicæni; isque non fuerit post seculam inquisitionem repertus, nil circumventionis aut fallaciæ admixtum habet. Quanquam enim Africani, & ipse Augustinus ex ignorantia celebrati in Europa Sardicenis Concilii quodammodo decepti, affirmaverint se Canones illos in nulla reperisse Synodo: Legati tamen iis imponere, aut Papa Canones Nicæni Concilii falsificare noluerunt, quidquid struant holophantæ. Nam Canon iste certò extat in Sardicensi Concilio, quod esse censetur appendix Nicæni Concilii: cùm præter confirmationem hujus nil inibi fuerit definitum in fide; iidemque Patres magna ex parte in utraque conventionem fuisse legantur. Deinde exemplar ex Alexandria à Cyrillo missum ad Africanos Episcopos non continebat omnes Canones Nicæni Concilii; adeoque verisimile est, illum Canonem à Zosimo citatum de appellatione ad Sedem Apostolicam reverà in eodem conditum fuisse. Plures autem ab his Patribus conditos esse Canones, quàm Rufinus presbyter recenset, nemo incicias ibit, qui Hieronymum, Ambrosium aliosque antiquos Patres non esse mendacii arguendos judicabit, apud quos de aliis permultis in ea Synodo statutis & legibus non infrequens habetur mentio. Pater id imprimis, quod Canone quodam statuatur in præfato Concilio, ut Pascha celebretur prima Dominica post paschelenium, seu plenilunium Vernalium; hoc est, post Lunam decimam quartam primi mensis, scilicet Martii; cujus Canonis meminerunt Athanasius *Epist. de Synod.* Epiphanius *heres. 70.* Ambrosius *Lib. 10. Epist. 83.* Eusebius *Vit. Constant. Lib. 3.* Deinde Ambrosius *Epist. 82.* scribit in Concilio Nicæno fuisse statutum, ne bigamus Ordinetur. S. Augustinus *Epist. 110.* perhibet in Concilio Nicæno prohibitum, ne duo Episcopi in eadem simul sedeant Ecclesia. Plura videri possunt apud



Bellarminum *loc. cit.* ubi etiam falsè oggerit Novatoribus, quod eum Lutherus, Calvinus, Centuriatores passim objiciant ex Societate *Lib. 1. histor. cap. 8.* Canonem Nicæni Concilii, vigore cujus permixtae sunt sacerdotibus uxores: hic tamen Canon æque minus sit reperibilis ac alii jam recensiti. Ergo si Zosimus citavit Canonem de appellatione non fraudulenter egi: quia Nicænum & Sardicense pro eodem habuit, aut quia inter Nicænos Canones, qui modo non extant, tunc habebatur. Idem dicendum de Julio *Epist. ad Orientales.* Innocentio *Epist. ad Vetric. Leone Epist. 23. ad Theodosium*, qui hunc Canonem velut Nicæni Concilii citant. Quemadmodum enim, inquit citatus Cardinalis, Symbolum Constantinopolitanum passim vocatur Nicænum, quia est explicatio Nicæni: ita quoque Canones Sardicenses Nicænos appellare solebant Veteres, quod nihil sint aliud, quam explicatio & confirmatio Canonum Nicænorum. Addeit insuper, Carthaginenses Patres nunquam statuisse, ut nullum jus Romano Pontifici in Africam tribueretur; vel ut non liceret ullo modo Episcopis Afris ad Romanam Ecclesiam provocare, quale Decretum nusquam extat: ac Patres in Epistola ad Bonifacium & Cælestinum subjectionem suam apertissimè testantur.

Proindeque iudicii defæcatissimi vir, in quo candor animi cum exquisita eruditione oerrat, fatetur tibi admodum probabile, non fuisse inter Canones dicti Concilii Nicæni, profertque rationes minimè spernendas. Bellarmino hic consentit Illustrissimus de Marca *Lib. 7. de Concord. cap. 16.* Et quia in Concilio Nicæno obscurè & implicite fuerat decretum, ut ad Pontificem appellaretur; dum Canone VI. jubent Patres servari antiquas consuetudines, & una hæc est de appellationibus; quemadmodum Leo *Epist. 89.* ad Episcopos Gallie scribit. *Nobiscum Ve-*

*stra Fraternitas recognoscat Apostolicam Sedem pro sui reverentia a vestra etiam precorcia sacerdotibus innumeris etiam relationibus esse consultam, & pro diversarum (quemadmodum vetus consuetudo poscebat) appellatione causarum, aut retractata aut firmata fuisse iudicia.* Hinc idiplum explicitè & disertè Canon Sardicentis exponit: præteritum Nicæni Patres causam semel iudicatam iterum in alio loco iudicari posse sancivissent, quemadmodum liquet ex Epistola Julii apud Athanasium *Apolog. 2.* Iniquissimè ergo malevoli obtretractatores Zosimum, virum integerrimum, insimulant falsificationis. Habeant hi tibi illud Ennodii appositè referentis. *Scriptum est in Carthaginensi Concilio, Accusatoribus de inimici domo prodentibus non credendum, ... liquido nocens est, qui innocentibus aut meritis culpabilis aut nomen opponitur.* Cæterum Africanos in Concilio Cathaginensi congregatos ex ignorantia fuisse deceptos, & causa excidisse, manifestè proditur in *cit. Epist. ad Cælest.* ubi bis repetunt, in nulla Patrum definitione & in nulla Synodo se invenisse illum Canonem. Ergo non habuerunt, nec viderunt Canones Concilii Sardicentis, in quibus Decretum de appellationibus continebatur: & si eos habuissent; utique acquiescissent. Verum est, quod in Concilio Carthaginensi *cap. 6.* citetur Concil. Sardicense; argumento, quod Africani non ignoraverint: sed bene observat Binius, illud ex Margine irrepsisse in textum. Ponitur enim in margine Sardicente Concilium. Quia vera verba illa, quæ citantur, non inveniuntur nisi in dicto illo Concilio. Ad relationem autem Legatorum, in Concilio Nicæno eum Canonem reperiri, Augustinus reposuit. *Et nos hæc servaturos profitemur, salva diligentiori investigatione Concilii Nicæni.* Quibus verbis significat, se accepisse Canonem citatum tanquam ex Concilio Nicæno. Patres autem in admittendo promiscuè appellationes causarum

graviorum fere difficiles præbuerunt; quia exultabant suæ Ecclesiæ non expedire: quamvis non ignorabant ex Apostolica Traditione non posse absolute impedire.

Quicumque hæc animo præiudiciis defecato pervolvent, matureque discutient; in eam utique ibunt pedibus sententiam, quingentis primis annis ab exordio Ecclesiæ Catholice ex variis Christiani Orbis regionibus appellationes ad Sedem Petri legitime factas, honorifice exceptas, & cum executione sententiae fuisse efficaces: adeo, ut rectè Baronio arbitrante, nulla de his vel levis dubitatione reliqua esse possit; trahique necesse sit summa potentia veritatis in ejus consentium non dubitantes tantum: sed ipsos, si quos esse contigerit obstinatos & retractarios, qui ei, quam semel imbibentur opinionem, inhaerent immobiles, pertinent stabiles firmique, nec pati possunt ab eadem quavis ratione divelli.

Nihilominus ringit Calvinus & loc. cit. ogganit. *Multis saepe Romanum, Pontificem appellarunt: ipse quoque causarum cognitionem ad se trahere conatus est: sed semper fuit derisus, quoties suos fines excessit.*

Quo sanè ridiculissimus, ut est apud Plantinum in *Styeb.* historichulus cachinnis explodendus est, dum suæ sententiæ pertinax (huc juxta Aristotelem *Lsb. 7. Ethic. cap. 9.*

indoctus & agrestis) rudiratem suam rerumque imperitiam, ut sapissimè alias, prodit: dumque naso rugato subsannans Pontifices Romanos exponit irrisos, freudentibus suis Asscclis, irridetur ab omnibus.

Horat: in *Arte*

*Verum ita riores, ita commendare dicaces*

*Conveniet Satyros.*

Atque hæc est præcipua nota impudentis cavilatoris; ut nullibi intermittat superbè aliis illudere; semperque id agat, ut imponat plebeculæ, & simplicitatem suis improbissimis artibus ducet; at haud in longum: nulla enim larva velandæ impudentiæ idonea est. Nullam non occasionem arripit novus ille, Si diis placet, Apostolus, in qua vesarum furorem erga Supremum Petri Apostolatam rabiemque suam inexaturabilem manifestare possit. Nec mirum. Nam

Lucan. 1.

*Nullus semel ore receptus  
Pollutas patitur sanguis  
mansuescere fauces.*

